

1.  
6  
2.  
3.  
4.





1787, 17

PROCANCELLARIVS

D. CHRISTIANVS RAV

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGI IVRISCONSVLTORVM  
ASSESSOR TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE  
ET DIVERSIS REGVLIS IVRIS ANTIQVI PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI

CAROLI FRIDERICI CARL

ADVOCATI ELECTORALIS SAXONICI

A. D. XXII. MARTII MDCCCLXXXVII

PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT





PROCA REGIARIS

D. CHRISTIANVS RAV

AVRUM CURIAE FROBENII ET CORRECTORII FROBENII

ASSessor Titulorum de Verborum Significatione

ET DIVERSIS REBUS ANTIQVI PROFESSOR

VERBIS ORDINARIVS

SOLLENNIA INAUGVRA

FRANCOBOLISSIM CANDIDATI

CAROLI ERIDERICI CARL

ADVOCATI ELECTORIS SAXONIC

A. D. XVII MARTII MDCCCXXXVII

IN THEATRIS GERMANICIS

INSTIT

INSTITUTIO







*Ordo Equeſter apud Romanos, quo tempore ortus  
ſit eiusmodi, qui interiectus quaſi et medius  
inter Senatum et Plebem eſſet?*

**C**ives Romanos omnes primum a gente et natalibus in patricios et plebeios, deinde ab ordine et gradu dignitatis in republica in ordinem Senatorium, Equeſtrem et plebeium fuiſſe diſcretos, norunt, qui hiftoriae et rerum Romanarum vel mediocri cognitione ſunt inſtructi, et clariffime innuunt varia LIVII, TACITI, VALERII MAXIMI, MARTIALIS, AVSONII aliorumque veterum ſcriptorum loca, quae largiter conduxit HVLDERICVS AB EYBEN <sup>a)</sup> in peculiari et erudite ſcripta Diſſertatione *de ordine equeſtri veterum*

A 2

Romano-

a) Hanc Diſſertationem ex parentis analectis editam a filio CHRISTIANO GVILELMO AB EYBEN et in ſcriptis HVLDERICI AB EYBEN, quae cum praefatione IO. NICOL. HERTII

Argentorati 1708. in folio prodierunt Part. III. Num. XII. pag. 877. obuiam, SALLENGRE Tomo primo noui Theſauri Antiquitatum Romanarum Num. XXI. inſeruit.



*Romanorum*, et quae, ne actum agere videamur, non denuo apponimus. Erat hic ordo Equeſter medius Senatorium inter et plebeium. Vnde Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS <sup>b)</sup> eum ſecundum ordinem vocant, VALENTINIANVS autem et VALENS <sup>c)</sup> Equites Romanos ſecundi gradus in vrbe dignitatem obtinere iubent. De Equitibus quidem Romanis in vniuerſum eorumque nomine, dignitate, incrementis, munere, veſtitu et inſignibus eruditi viri modo laudatus EYBENIVS, IOANNES FRIDERICVS GRONOVIVS <sup>d)</sup>, CHRISTIAN GOTTLIEB SCHWARZIVS <sup>e)</sup>, IOANNES GEORGIVS POESCHELIVS <sup>f)</sup>, IOANNES ERHARDVS KAPPIVS <sup>g)</sup>, NICOLAUS IOANNES IANTZONIVS <sup>h)</sup>, ſcriptor de hoc argumento a IOANNE AVGVSTO BACHIO <sup>i)</sup> excitatus, nobis tamen nunquam viſus, licet ſtudioſe quaeritus, atque fortaffe alii, quorum nomina non ſtatim ſuccurrunt, multa et magno cum doctrinae apparatu dixerunt. At de tempore, quo Equites in Republica Romana peculiarem ordinem a Senatorio plebeioque ſeiunctum, et velut inter vtrumque medium conſtituere coeperunt, aut plane nihil aut certe pauca tantum tradiderunt, rem inſuper ita tractantes, ut ſuper ea non conſtans opinionum conſenſus, ſed manifeſtum potius diuortium appareret. Vnde fortaffe haud iniucundum fuerit, nonnihil hoc de argumento propoſuiſſe. Ac primum quidem ſatis conſtat, Equitum non unam ſemper candemque in Republica Romana

b) *L. 10. Cod. Inſtit. de nuptiis.*

c) *L. un. Cod. Theodoſ. de equeſtri dignitate.*

d) *Lib. III. Obſeruat. cap. 25.*

e) *In Diſſertatione de inſignibus ordinis equeſtris veterum Romanorum Aldorſii 1715. edita.*

f) *In annotationibus ad Polybii de militia Romana libellum, Norimbergae 1731. 8. editum pag. 45.*

g) *in Diſſertatione de annua equitum Romanorum tranſueſtione et de eorundem recognitione ſeu cenſura, Lipſiae 1734. deſenſa.*

h) *in Diſſert. de ordine Equeſtri apud Romanos, Lugd. Batav. 1744.*

i) *in Hiſtor. Iuriſpr. Roman. Lib. II. cap. 1. §. 14. Not. i. pag. 83.*



mana conditionem, sed pro vario eius statu variam fuisse. Primis enim et antiquioribus temporibus, cum res Romana nondum adoleuisset, Equites dicebantur eorumque iuribus gaudebant ii soli, qui e primoribus ciuitatis, quibus census maximus, id est centum millium aeris, erat, lecti, a Cenforibus equos publicos et emtos et alendos acceperant, quo hisce instructi in legionariis equitum Romanorum turmis arma ferrent. Nam etsi aliquando etiam Romanos equis suis siue priuatis i. e. quos suis sumtibus et emerant, et aluerant, meruisse reperimus, id quod aduersus IOANNEM GEORGIVM GRAEVIVM <sup>k)</sup>, hoc plane negantem clarissime ciuicit KAPPIVS <sup>l)</sup> et probauit duobus LIVII <sup>m)</sup> locis, quos iam produxerunt SCHWARZIVS <sup>n)</sup> atque POESCHELIUS <sup>o)</sup>; hoc tamen extra ordinem tantum Romae accidisse, nec ideo statim cum CAROLO SIGONIO <sup>p)</sup> duplex equitum genus, alterum quod publicis, alterum quod priuatis, id est suis impensis emtis et alendis equis stipendia mereret, fingendum esse solide demonstrarunt SCHWARZIVS <sup>q)</sup>, nec non IO. GEORG. CRAMERVS <sup>r)</sup> Lipsiensis olim Antecessor, qui in elegantissimis Commentariis de iuribus et praerogatiuis nobilitatis auitae eiusque probatione, qui Lipsiae MDCCCXXXIX. quaternis editi sunt, multa de Equitibus Romanorum, quae fortasse ibi haud quaesueris, doctissime disseruit. Erat igitur tum equitum Romanorum plane militaris ordo ac status. Quibus enim equi publici assignati, eos oportuit in turmis legionum equestribus militare, adeoque equitatus Romanorum ex equitibus constitit.

A 3

Videan-

k) in Praefat. Tomo I. *Theauri Antiqu. Roman.* praemissa.

l) cit. *Dissert. cap. I. §. 5. pag. 12. sq.*

m) *L. V. Histor. cap. 7. et L. XXVII. cap. 11.*

n) *c. I. §. XVII.*

o) *c. I. pag. 45.*

p) *de antiquo iure Ciuium Romanor. Lib. II. cap. 3.*

q) *cit. Dissert. §. XVI.*

r) *cap. II. §. 4. Not. 4. pag. 36.*



Videantur **PLVTARCHI** et **LIVII** loca, quae **CAROL. SIGONIVS** <sup>s)</sup>, et **CLAVDIVS SALMASIVS** <sup>t)</sup> attulerunt. At enim ruente postea aeuo, et mutata militaris rei, ipsiusque Reipublicae Romanae forma, ipsorum equitum conditioni mutatio euenit. Nam equitum nomen et iura iis omnibus tribui coeperunt, qui vel censum equestrem habebant, ad quem tum quadringenta sestertium millia requirebantur, vel Equitum Romanorum sanguine procreati, aut etiam equis publicis donati erant. Solum enim censum equestrem et relationem in album equestre recentioribus temporibus suffecisse ad consequendam et retinendam equestrem dignitatem auctoritate **CICERONIS**, **SENECAE**, **SVETONII** ac **PLINII** late probauit **CRAMERVS** <sup>v)</sup>, quorum locos non denuo transcribimus. Atque tum equites Romani militare desierunt. Coeperunt potius equitum ex Italia aliisque prouinciis conscriptorum alae legionibus addi, vt adeo equitatus Romanorum nunc ex auxiliis fociorum esset, qui, vt distinguerentur ab Equitibus Romanis, alarii equites vocati sunt. Conferatur **SCHELIVS ad Hygin. Stromat. pag. 66. seq.** Nam qui e familiis equestribus orti erant, castra paulatim reliquerunt, et aut priuatim viuere, quam inter gregarios equites equis merere, aut in reipublicae atque officiorum ciuiliu luce ac splendore versari maluerunt, praesertim cum nunc Equites ad varios publicos honores et splendidissima magistratum munera ascendere possent. Inde factum, vt qui prima Reipublicae Romanae aetate militaris erat equitum ordo, ultimis Reipublicae liberae temporibus et sub Imperatoribus in dignitatem quandam ciuilem abiret, quae in liberos et posteros transmitteretur. At enim vero quaerimus potissimum, quando

s) c. l. *L. I. cap. 15.*

t) *de re militari Romanor. cap. 6.*

v) c. l. *cap. II. §. IV. Not. e. p. 38.*



quādo peculiaris fit factus equitum ordo, qui Senatorium inter et plebeium medius esset. EYBENIVS, quem statim sub initio laudauimus *c. l. §. IV.* scribit, Equestrem ordinem post Reges demum exactos in ciuitatem Romanam coepisse introduci noscique. Verum cum periodus illa post Reges exactos vsque ad illud tempus, quo Imperatores praeesse imperio Romano coeperunt, sit tam longa, vt spatio quadringentorum octoginta trium annorum absolvatur, vbi multa fieri poterunt, de quibus, quando facta sint, nisi temporis momentum, quo euenerunt, accuratius eruatur, haud constat, profecto ignoraremus aetatem, qua Equitum factus sit apud Romanos peculiaris ordo, si folius EYBENII fide eam scire deberemus. Et nescio profecto, an non perinde sit, ac si EYBENIVS eam rem plane silentio praeterisset. Adeo parum sufficiunt, quae ea de re protulit. Propius ad rem accessisse videtur CAROL. ANDR. DVCKERVS \*) ad LIVIVM, non DRACKENBORCHIVS, vt minus accurate BACHIVS †) scripsit. Nam illa nota DVCKERVM autorem habet. Is nempe dicit, senon existimare, ante C. Sempronii Gracchi tempora peculiarem ordinem Equitum fuisse, sed talem demum Lege Semproniana iudiciaria Cn. Domitio, Ahenobarbo et C. Fannio Strabone Consulibus, quorum Consulatus in annum v. DCXXXII. incidit, lata factum. Hac enim Lege, vt Appianus auctor est, C. Gracchus iudicia publica, quae haecenus, ex quo quaestiones perpetuae Lege Calpurnia de repetundis constitutae, a Senatoribus habebantur, quibus ita infensus, vt eorum potestatem quouis modo frangere fluderet, ad Equites transfudit, felicior ea in re fratre Tiberio Graccho, qui iam ante idem, sed frustra tentauerat, vt ideo scriptores, qui Tiberium di-

\*) *Lib. XXIX. cap. 37. T. IV. p. 393.*

†) *cit. Libr. II. cap. I. §. 14. Not. g. pag. 83.*



cunt ius iudiciorum publicorum exercendorum ad Equites transfuisse, ex ratione latinitatis de eius tantum voluntate sint interpretandi, id quod accurate animadvertit DVCKERVS <sup>2)</sup>, cuius locum et BACHIVS excitavit. Ab eo igitur tempore DVCKERVS putat, Equites etiam peculiarem hunc et alterum quidem in Republica Romana ordinem constituisse. Verum tamen nec DVCKERVS rem penitus confecit. Nam etsi ei largiri possumus, iudicatu Senatoribus adempto et per Legem hanc Semproniam ad Equites translato, initium factum esse ordinis Equestris, atque hanc ipsam Equitum in numerum iudicium receptionem fortasse dedisse causam, ut qui olim tantum militias equestres praestiterunt, nunc sensim in peculiarem ordinem, cui post Senatorium et ante plebeium locus esset, cogerentur variisque insimul privilegiis sensim ornarentur, quo referri debent angustus clavius, hoc forte tempore iis concessus, nec non proprius locus in quatuordecim in teatro lege Roscia theatri datus: tamen tum nondum tota res omnino perfecta atque absoluta dici potest. Nam hoc serius quidem et demum quinquaginta novem annis post Semproniam legem contigit. Incidit autem potissimum illud tempus in MARCI TVLLII CICERONIS Consulatum, id quod doceri potest e PLINII <sup>2)</sup> Historia naturali, cuius locum excitavit BACHIVS <sup>b)</sup>, et ante eum iam integrum exhibuit CRAMERVS <sup>c)</sup> libro, quem modo laudavimus. Adscribamus et nosmet ipsi illius loci verba, quoniam ex iis res tota clarissime potest cognosci. Ait PLINIVS: *Marcus Cicero demum stabilivit equestre nomen in Consulatu suo, ei Senatium concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, eiusque vires peculiari popularitate*

<sup>2)</sup> ad Florum Lib. III. cap. 17.

<sup>2)</sup> Lib. XXXIII. 1. 2.

<sup>b)</sup> c. l. Lib. II. cap. I. §. 14. Not. g. pag. 83.

<sup>c)</sup> c. l. cap. II. §. 4. Not. a. pag. 35.



laritate quaerens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in republica factum est, coepitque adici Senatui, populoque Romano et equester ordo. Is sane locus luculenter ostendit tempus, quo Equitibus hoc datum, ut ipsorum fieret proprius ordo, quem admodum olim tantum Senatus et plebis eiusmodi ordines fuerunt. Quamquam vero hoc vnum fortasse videtur obiici posse, non satis ex hoc PLINII loco apparere, Equestri ordini locum medium Senatus inter et plebis ordinem concessum fuisse, propterea, quod tantum dicatur: *coepit adici Senatui populoque Romano et Equester ordo*: tamen id ipsum, si vel maxime alia probandi ratio deficeret, commonstrant varia illa LIVII, TACITI, VALERII MAXIMI, MARTIALIS atque AVSONII loca, quae iam HVLDERICVS AB EYBEN nec non CRAMERVS laudarunt, in quibus Equester ordo semper medius Senatorium inter et plebeium positus reperitur. Diu Equites Romani secundum in Republica Romana et statim post Senatorium ordinem locum tuiti sunt. Sed videntur tamen deinceps aliquo tempore in vltiorem seu inferiorem locum detrusi. Colligi hoc licet e *L. vn. Cod. Theodos. de his qui veniam aetatis*: vbi a CONSTANTINO M. post Senatores proxime et ante Equites perfectissimi memorantur, subque maiore iudice Romae puta sub Vicario Praefecti, Equites vero posteriori et sub Praefecto Vigilum collocantur. Verum restituit iis pristinum ordinem et gradum, secundum videlicet et medium inter Senatoriam dignitatem et Perfectissimatam, Imperator VALENTINIANVS *L. vn. Cod. Theod. de equestri dignitate*, e qua desumpta est *L. vn. Cod. Iustin. eiusdem tituli*, vbi expressis verbis dicit: *Equites Romani, quos secundi gradus in Vrbe omnium obtinere volumus dignitatem etc.* ad quam constitutionem videantur, quae IACOBVS GOTHOFREDVS <sup>b)</sup> notauit.

Sed  
d) in Commentar. ad *L. vn. Cod. Th. de equestri dignitate Tom. II. pag. 244.*



Sed haec placuit praefari indicendis solemnibus, quibus  
Doctissimus Iuris Candidatus

### CAROLVS FRIDERICVS CARL

Doctor creabitur. *Natus is est Leucopetrae die VI. Ianuarii Anno MDCCXLII. patre SAMVELE CARL Serenissimi quondam Ducis Saxoniae Weiffenfelsensis in Praefectura aulae Secretario, matre IVLIANA MARIA e gente MAHLERIA. Horum parentum optimorum, quorum tamen neuter adhuc superstes est, patre quippe iam anno LXXI. mortuo, matre autem quinque annis post morte sibi erepta, cura ac sollicitudine factum est, ut potissimum Roslae in Thuringia, quo pater post extinctam lineam Ducum Saxoniae Weiffenfelsensis domicilio constituto, rei domesticae Illustrissimi Comitis a STOLLBERG praefuit, domesticis praeceptoribus, inter quos Beyerum, Zimmermannum et Ortmannum omnes deinde ad Pastoris in ecclesia munus euocatos laudat, committeretur, qui ipsum primis litterarum et Christianae fidei elementis imbuerent, donec in scholam Monasterii Donndorpiensis in Thuringia mitteretur, ubi disciplina MESSERSCHMIDII postea scholae Wittebergensis Rectoris, nec non BEYERI illi multum profuit. Ad Academiam nostram accessit anno huius seculi LXV. a PLATZIO Rectore Magnifico tabulis ciuium eius inscriptus, et in humanioribus quidem litteris ERNESTIVM, CLODIVM atque GELLERTVM, in Philosophia SEYDLITIVM, in historia autem BYRSCHERVUM nec non BOEHMIVM doctores nactus est. Ad iurisprudentiam deinde conuersus BREVNINGIO adhaesit, Historiam Iuris Romani, Ius Naturae et Gentium, Institutiones, Pandectas et Ius Germanicum docenti, a cuius etiam nec non HOMMELII ore in addiscendo Iure Canonico pependit. Nec spreuit reliquos huius Vniuersitatis doctores. Nam SAMMETII praelectionibus in Ius Feudale, BOEHMII in Ius Publicum Imperij, et ZIZMANNI in Ius Cambiale interfuit. Ius Criminale autem, formulam iudiciariam et artem e Commentariis iudicum referen-*



referendi apud ZOLLERVM didicit, et vt medicinae forensis notitiam sibi pararet, LVDWIGII scholas adiit. In ratione denique ac modo negotia extraiudicialia rite inuendi institutione ZIZMANNI usus est, apud quem etiam nec non Consultiff. KINDIUM huius Ciuitatis Senatorem et Praectorem per aliquot annos in tractandis caussis forensibus et iudicialiis se exercuit, quorum utriusque in se beniuolentiam grata mente colit ac praedicat. Anno LXXI. praeside Zollero theses iuris controuersi publice defendit, paulloque post a Collegio nostro ad examen pro practi admiffus, qui exhibitis reliquis speciminibus, subsequenti anno a supremo Electorali Regimine Saxonico in numerum Aduocatorum receptus, nec non ab Amplissimo huius Ciuitatis Senatu Notarius Publicus Caesareus creatus est. A quo tempore tum caussas in foro egit, tum in quibusdam praediis equestribus iuri dicundo praesuit.

Iam vero cum rationibus suis accommodatum duceret supremos iurisprudentiae honores consequi, adiit Collegium nostrum, et vt voti sui compos fieret, humanissimis precibus rogauit. Nos vero eo minus honesto eius desiderio annuere dubitauimus, quo magis iam dudum proemium hoc diligentiae Viri promereri videbatur. Itaque diximus diem examinibus Candidatis illorum honorum subeundis, in quo utroque expositis capitibus ex Iure Ciuili et Canonico depromtis et solutis quaestionibus ei ex vario iure propositis tam egregie doctrinam suam nobis probauit, vt cunctorum suffragiis dignissimus iudicaretur, cui Doctoratus in utroque Iure honores conferrentur. Sed quo etiam publice de eruditione Viri constet, proximo die XXI. Martii hora II. pone meridiem recitationem ad *L. vn. Cod. de sententiis quae pro eo, quod interest proferantur* habebit, et die statim sequente Dissertationem inauguralem *de appropriatione feudorum sine consensu successoris in dominium directum nonnunquam inualida*, me praeside pro cathedra Iureconsultorum defendet.

Quo



Quo factio Vir illustris, Excellentissimus atque Consultissimus  
 D. IOSIAS LVDOVICVS ERNESTVS PÜTTMANNVS Ecclesiae  
 Cathedralis Numburgensis Canonicus, Pandectarum Professor  
 Publicus Ordinarius et Collegii Iuris Consultorum Assessor de  
 his omnibus muneribus meritissimus meique amantissimus, cui  
 Principali auctoritate et ex decreto Ordinis nostri constitutus  
 Procancellarius delegavi has vices, Doctoris in vtroque iure  
 dignitatem, iura, praerogativas et privilegia tam communia  
 quam Lipsiensibus Doctoribus cum maxime propria, spe sola  
 loci et suffragii in Collegio nostro obtinendi excepta, Ipsi mo-  
 re maiorum largietur.

Quae solemnitas ut splendoris quam plurimum habeat,  
 RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLUSTRISSIMOS  
 COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GE-  
 NEROSISSIMOS et NOBILISSIMOS COMMILITONES, omnes-  
 que litterarum bonarum fautores, ut praesentia sua honorifica,  
 illi honorum distributioni maiorem gratiam ac dignitatem  
 conciliare velint, Candidati, Ordinis nostri, meoque ipsomet  
 nomine rogo atque oro.

Dat. Lipsiae Dom. Laetare, anno c10ccclxxxvii.





ULB Halle

3

003 335 402




*Sl.*











1787, 17

PROCANCELLARIVS  
D. CHRISTIANVS RAV  
SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGH IVRISCONSVLTORVM  
ASSESSOR TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE  
ET DIVERSIS REGVLIS IVRIS ANTIQVI PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS  
SOLLEMNIA INAVGVRALIA  
PRAENOBILISSIMI CANDIDATI  
CAROLI FRIDERICI CARL  
ADVOCATI ELECTORALIS SAXONICI  
A. D. XXII. MARTII MDCCCLXXXVII  
PVBLICE CELEBRANDA  
INDICIT

